



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Liutprandi Ticinensis Diaconi Opusculum, De Vitis  
Romanorum Pontificum**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Moguntiae, 1602**

LXXXVI. Sergius.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**

PONTIFICVM ROMANORVM  
LXXXIII.

95

BENEDICTVS II.

A. DCLXXXIV.

**B**ENEDICTVS, natione Romanus, ex patre Ioanne, sedit mens<sup>es</sup> 10. dies 12. Hic suscepit præceptum Constantini Augusti datum clero & populo, & exercitui Romano, per quod concessum est, vt cum quis fuerit electus ad regendam Romanam sedem continuo absq; tarditate cōsecratur Pontifex. Obiit verò 8. Idus Maii.

LXXXIV.

IOANNES V.

A. DCLXXXV.

**I**OANNES, natione Syrus, ex provincia Antiochia, de patre Cyriaco, sedit annum 1. dies 9. Fuit autem vir valdè strenuus atq; scientia præditus, & omnino moderatus. Hic consecratus est à tribus Episcopis, Ostiense, Portuense & Veliternense, sicut & præcessor eius Leo fuerat. Defunctus est verò 4. non Augusti.

LXXXV.

CONON.

A. DCLXXXVI

**C**ONON, oriundus patre Traceseo, educatus apud Siciliam, sedit menses 11. In huius electione non minima est cōtentio habita, eo quod clerus Archidiaconum, exercitus autem Theodorum presbyterum nitebatur eligere. Sed hac contentione aliquādiu habita, tandem clerus & populus vnanimiter hunc denominantes elegerunt. Post aliquot verò dies exercitus videns cleri & populi concordiam, & ipse in prædicti electionis decreto subscripsit. Hic ordinauit Episcopos 16. Defunctus est autem 10. Kalendar. Octobris.

LXXXVI.

SERGIVS.

A. DCLXXXVII.

**S**ERGIVS, natione Syrus, Antiochiæ regionis, ortus ex patre Tiberio, sedit annos 13. menses 7. dies 23. Ante huius electionem populus Romanus, vt fieri adsolet, diuisus est. nam pars vna Theodorum archipresbyterum, alia verò elegit Paschalem archidiaconum. Cum autem isti duo electi contenderent, nec alter eorum alteri cedere vellet, maxima pars cleri, nec non primates iudicium

M 4

& ex

& exercitus Romanæ militiæ diu pertractantes, qualiter duorum altercantium contentio sopiretur, consilio inito demum prænomi-  
 natum Sergium vnanimiter elegerunt, & altercantium tumul-  
 tuatione repressa in sede eum concorditer statuerunt. Hic in sa-  
 crario B. PETRI Apostoli capsam argenteam in angulo obscuro  
 iacentem, & ex nigredine nimix annositatis, nec, si esset argentea,  
 iam apparentem, Deo ei reuelante, repperit. Itaq; oratione facta,  
 sigillo fracto, & capsula aperta inuenit in ea crucem diuersis ac pre-  
 tiosis lapidibus perornatam. In qua etiam aperta inuenit miræ ma-  
 gnitudinis, & ineffabilem portionem salutaris ligni viuificæ crucis  
 repositam, quæ ex die illo pro salute humani generis ab omni po-  
 pulo Christiano die Exaltationis S. Crucis in Ecclesia Saluatoris  
 adoratur. Hic statuit, vt in fractione corporis & sanguinis Domini  
 à clero & populo *Agnus Dei* cantetur. Hic ordinauit Episcopos 27.  
 presbyteros 18. diaconos 4. Defunctus est autem Idibus Septemb.

## LXXXVII.

## IOANNES VI.

A.D.CCI.

**I**OANNES, natione Græcus, sedit annos 3. menses 2. dies 12. Hic  
 captiuos, quos in Campania Gysolphus dux gentis Longobar-  
 dorum ceperat, donariis suis redemit. Hic ordinauit Episcopos  
 15. presbyteros 9. diaconos 2.

## LXXXVIII.

## IOANNES VII.

A.D.CCV.

**I**OANNES, natione Græcus, de patre Platone, sedit annos 2.  
 menses 6. dies 17. Hic ordinauit Episcopos 19. Sepultus est au-  
 tem 15. Kalend. Nouemb.

## LXXXIX.

## SISINNIVS.

A.D.CCVIII.

**S**ISINNIVS, natione Syrus, ex patre Ioanne, sedit dies 20. Hic  
 ordinauit Episcopum vnum. Defunctus est autem repentina  
 morte.